

T7

Confessiones II, II, 2-4

La concupiscenza della carne

II (2) Et quid erat, quod me delectabat, nisi amare et amari? Sed non tenebatur modus ab animo usque ad animum, quatenus est lumen limes amicitiae, sed exhalabantur nebulae de limosa concupiscentia carnis et scatebra pubertatis et obnubilabant atque obfuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis a caligine libidinis. Utrumque in confuso aestuabat et rapiebat inbeccillam aetatem per abrupta cupiditatum atque mersabat gurgite flagitorum.

Invaluerat super me ira tua et nesciebam. Obsurdueram stridore catenae mortaliatis meae, poena superbiae animae meae, et ibam longius a te, et sinebas, et iactabar et effundebar et diffuebam et ebulliebam per fornicationes meas, et taceras.

O tardum gaudium meum! Tacebas tunc, et ego ibam porro longe a te in plura et plura sterilia semina dolorum superba deiectione et inquieta lassitudine.

(3) Quis mihi modularetur aerumnam meam et novissimarum rerum fugaces pulchritudines in usum verteret earumque suavitatibus metas praefigeret, ut usque ad coniugale litus exaestuant fluctus aetatis meae, si tranquillitas in eis non poterat esse fine procreandorum liberorum contenta, sicut praescribit lex tua, domine, qui formas etiam propaginem mortis nostrae, potens inponere lenem manum ad temperamentum spinarum a paradiso tuo seclusarum? Non enim longe est a nobis omnipotentia tua, etiam cum longe sumus a te. Aut certe sonitum nubium tuarum vigilantius adverterem: tribulationem autem carnis habebunt huius modi. Ego autem vobis parco, et: bonum est homini mulierem non tangere, et: qui sine uxore est, cogitat ea quae sunt dei, quomodo placeat deo; qui autem matrimonio iunctus est, cogitat ea quae sunt mundi, quomodo placeat uxori. Has ergo voces exaudirem vigilantior et abscisis propter regnum caelorum felicior expectarem amplexus tuos.

(4) Sed efferbui miser, sequens impetum fluxus mei relicto te, et excessi omnia legitima tua nec evasi flagella tua: quis enim hoc mortalium? Nam tu semper aderas misericorditer saeviens, et amarissimis aspargens offenditibus omnes illicitas iucunditates meas, ut ita quaererem sine offensione iucundari, et ubi hoc possem, non invenirem quicquam praeter te, domine, praeter te, qui fingis dolorem in praecinto et percutis, ut sanes, et occidis nos, ne moriamur abs te.

Ubi eram et quam longe exulabam a deliciis domus tuae anno illo sexto decimo aetatis carnis meae, cum accepit in me sceptrum et totas manus ei dedi vesania libidinis, licentiosae per dedecus humanum, inlicitae autem per leges tuas? Non fuit cura meorum ruentem excipere me matrimonio, sed cura fuit tantum, ut disserem sermonem facere quam optimum et persuadere dictione.